



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**FRANCISCI|| XAVERII EPISTOLA-||RVM LIBRI|| QVATVOR||**

**Francisco <de Javier>**

**Mogvntiæ, 1600**

**VD16 J 197**

Francisco Henrico in Trauancoridem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43721**

gunt, bonam dico, conscientiam, quæ istius- *Bona con-*  
 modi hominibus parum admodum est no- *scientia*  
 ta. Vulgo enim mercatores ita sibi persua- *merx pro-*  
 dent, si animorum suorum, conscientiaque *siosa.*  
 suæ negotiū agant, se continuo decocturos.  
 Ego tamen Deo adiutore futurū confido, ut  
 Iacobus Pereria meus amicissimus magnas  
 bonæ conscientie secū afferens merces locu-  
 pletetur; tametsi cæteri eiusmodi rerū ineu-  
 ria, ad egestatē redigantur. Equidem Deum  
 orare non desistā, ut te & deducat in Sinas, &  
 inde ad nos reducat incolumē, auctioremq;  
 ac locupletiorē animi bonis magis utiq; quā  
 fortunæ. Mitto istuc Malacam socios duos,  
 alterū (Francisco Peræ nomen est) sacerdo-  
 tem, qui meo instituto concionibus, confes-  
 sionibus, institutioni puerorum, ac rudium  
 det operā: alterū huius administrū, qui Lusi-  
 tanorū liberos imbuat litteris, quo posthac  
 pios, ac salutes libellos lectitent citius, quā  
 codices litigiosos Malacensium, quibus le-  
 gendis pueri fiunt Malacenses è Lusitanis.  
 Christus dominus tecū sit, perinde atq; ego  
 illū mecū esse cupio. IV. Non. Apriles. Goæ.

*Francisco Henrico in Trauancorideme.*

*Epist. VIII.*

*Gratia, & caritas Christi D. N. &c.*

**E**GO vero malle, frater carissime, corā,  
 Equā per litteras tecum agere; tibi que  
 pro

pro laboribus, & incommodis, quæ CHRISTI causa sustines, aliquid afferre solatij. Neq; enim eiusmodi solatia profecto expectis, quibus delectantur ij, qui hilariter iucundeque vt viuant, huius vitæ voluptatibus perfruuntur. Etenim horum vicem miserari debemus, illorum autem inuidere conditionem, quibus, vt Apostolus ait, *dignus non erat Mundus*. Noli mcerere, frater, quod minus, quàm velles, in istorum Neophytorum cultura proficias, quippe cum, & gens ipsa, vt scribis, Idolorum cultui dedita sit, & Rex à CHRISTI religione alienus acerbè insectetur Christianos. Plus vtiq; proficis, quam tu putas, infantes diligentissime conquistos cœlo per baptismum pariendo. Nam si circumspicere animo voles, reperies profecto ex Indis, vel albis, vel nigris paucos in cœlum peruenire, nisi eos, qui quatuordecim annis minores cum baptismali innocentia excedunt è vita. Videsne frater carissime, te, vt dixi, plus isthic, quam putes, proficere? Id adeo cerni in pueris licet, qui abs te baptizati cœlesti iam fruuntur beatitudine, qua nimirum carerēt, si tu ex istis locis discessisses, neque eos per baptismum CHRISTO genuisses. Enimvero sempiternus hostis animorum te, quem vehementer odit, quamprimum istinc excedere exoptat, vt ex isto Trauancoridis regno in cœli regnum nemo vocetur

vocetur in posterum. Genus est eius insidia-  
 rum, maiorem alibi diuini obsequij spem o-  
 stentare: vt videlicet sollicitet, atque auertat  
 eos qui vtiliter vbi sunt, operā nauant DE O.  
 Itaque vereor, ne te suo illo artificio aggres-  
 sus idcirco sollicitet, vt ex istis abigat locis.  
 At memēto te octo mēsis quib<sup>9</sup> istic ver-  
 saris, plures animos conseruasse, moribūdis,  
 infantibus baptizandis, quā omnibus annis,  
 quibus in Lusitania atque India fuisti. Qua-  
 re desine mirari, cur tibi tantum faceffat ne-  
 gotij Sathan. Quippe ille id agit, id pugnat,  
 vt te de ista regione expellat in aliam, vbi sa-  
 luti consulas pauciorum. Illud autem scito,  
 quod tibi gratum fore arbitror, socios com-  
 plures mēse Septembri ex Lusitania aduenis-  
 se. His ego Goa discedens imperaui, vt no-  
 bis venirent auxilio. Nunc refero me Goam  
 pij cuiusdam negotij causa, quod si confice-  
 re potuero, magna me spes tenet, Christia-  
 nos factum iri quā plurimos. Tu DEVM  
 deprecari velim, vt tametsi nostra peccata  
 impediā, quo minus idonei eius admini-  
 stri simus; ipse tamen pro sua bonitate infi-  
 nita, immensaq; in homines caritate, ad re-  
 ligionis propagationem nostra qualicun-  
 que opera vti ne grauetur. XI.

Kal. Nouembris. Pu-  
 nicali.

P. Igna-